



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. De Susceptione Ordinis Sacri, ac de Voto castitatis, aut Religionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ria contractum matrimonii elevatum a Christo Domino ad rationem Sacramenti; atque adeo ejus materia est spiritualis, non subdita juri civili; quod tunc solum in his casibus obligat, quando per jus canonicum approbatur, non vero quando non reprobat. Quare cum dispositio juris civilis adducta per jus canonicum non approbetur, poterit Sponsa, non expectato biennio, aut triennio, statim resilire; sive causa discessus fuerit voluntaria, sive etiam necessaria, ut docet Perez sect. 9. contra Bonac., qui putat, legitime impedito tempus non currere, ex lege prima de *Annuali Exceptione*.

III. Quæritur secundo; An liceat statim a Sponsalibus resilire, quando-cumque elapsum est tempus in Sponsalibus præfixum ad contrahendum matrimonium?

Respondeo, dupliciter posse talem terminum præfigi. Primo ita ut ante illum non sit obligatio contrahendi matrimonium, & post illum statim obligatio consurgat; ut si promittatur matrimonium post annum. Secundo, ita ut ante illum sit obligatio contrahendi matrimonium, & post illum obligatio cesset; ut si promittatur matrimonium contrahendum ante finem anni. In secundo casu per lapsum temporis præfixi dissolvuntur sponsalia etiam jurata: In primo vero casu non dissolvuntur; atque adeo tenetur uterque matrimonium contrahere, statim ac commode fieri potest. Si tamen utrius mora tanta est, ut juxta prudentis arbitrium censeatur, vel illum Sponsalibus renunciaste, aut peccasse mortaliter contra fidem datam, vel alterum non se obligasse cum tanta mora, in tali casu qui est innoxius, habet jus ad Sponsalia dissolvenda: Frangenti enim fidem non tenetur fidem servare, ex lege si convenerit 14. ff. pro Socio.

IV. Est autem necesse, ut is, qui in mora fuit, moneatur, idque sub interminatione resiliendi, nisi intra certum tempus stet promissis, quia aliter non satis constat, eum esse in mora culpabiliter; potest enim habere justum impedimentum, aut forte cogitare partem aliam in mora consentire, dum non urget.

Quod si Sponsalia nullo præfixo termino iis adimplendis sint contracta, neuter tenetur statim adimplere, sed solum quando alter requirit, si commode potest: Etenim hoc generale est cuilibet debito, absque diei præfixione, quod debitor solum tenetur solvere, quando est requisitus a Creditore, nisi forte ob verecundiam, vel ob metum, aut impotentiam, vel oblivionem non petat. Et ratio est, quia quando creditor novit debitum, & potest commode illud petere, si non petit, censetur dilationi consentire. Ita Sanch. disp. 25., Perez, Gutier., Bonac. quæst. 5. punct. 6.

ARTICULUS IV.

De Susceptione Ordinis Sacri, ac de Voto Castitatis, aut Religionis.

- I. Sponsalia dissolvuntur per Professionem Religiosam, ac per Vota simplicia in Religione approbata, puta in Societate Jesu.
- II. Inviã parte, possunt Sponsi Religionem ingredi, & quidem etiam post matrimonium ratum; si tamen id fiat bona fide.
- III. Votum etiam castitatis dirimit Sponsalia subsequenter. Et susceptio Ordinis Sacri dirimit etiam Sponsalia præcedentia.
- IV. Probabilius dissolvi possunt Sponsalia, statim ac quis Novitiatum ingreditur.
- V. Qui juramento confirmavit Sponsalia,

- lia, poterit Religionem ingredi, non celebrato prius matrimonio.
- VI. Nequit tamen Religionem ingredi, qui post Sponsalia obtinuit a Sponsa copulam sub spe matrimonii.
- VII. Votum proficiendi in Religione dirimit Sponsalia etiam praecedentia. At votum ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines Sacros, vel votum castitatis solum Sponsalia subsequencia dirimit.
- VIII. Quod si vota isthaec emittantur post sponsalia, alter remanet liber; sed vovens probabilius remanet ligatus a Sponsalibus.

I. **P**rimo certum est, Sponsalia dissolvi per professionem in Religione approbata; Sicut etiam matrimonium ratum, ex cap. 2. de Conversione Conjugatorum.

Secundo certum est, per vota simplicia facta in Religione approbata, Verbi gratia in Societate Jesu, dissolvi sponsalia, ut ex Bullis Pontificiis constat. Et ratio est, quia per ea vota homo constituitur vere Religiosus, & sic inhabilis ad contrahendum matrimonium. Quod si matrimonium sit contractum, per ea vota non dissolvitur, & consequenter tenetur ad illud, nisi professionem faciat, antequam consummet; Etenim matrimonium ratum dumtaxat per professionem dissolvitur, ex Cap. Verum de Conversione conjugatorum.

II. Tertio certum est, posse Sponsos, invita parte, Religionem ingredi, & illam vovere. Non est tamen licitum per se loquendo matrimonium contrahere cum animo ingrediendi Religionem, antequam illud consummetur, ut docet Sanch. disp. 43. cum aliis contra nonnullos. Et ratio est, quia Ecclesia dum concedit bimestre ad deliberandum de statu eligendo, non concedit hoc, ut fiat in praedictum tertii; sed bona fide,

Quarto, Sponsalia dissolvi per hoc, quod alter Sponsus voveat Religionem; Etenim status matrimonialis post tale votum redditur absolute illicitus.

III. Quinto, Votum castitatis dirimere Sponsalia subsequencia; etenim illicitus pariter inter eos est status matrimonialis; Et quia talis status ratione voti est illicitus, pariter videtur regulariter illicitus contractus matrimonialis, quia incommodus, & periculosus. Utrum autem votum castitatis dirimat etiam Sponsalia praecedentia, sicut dirimit votum Religionis? dicemus inferius.

Ultimo certum est, Susceptionem Ordinis Sacri, non vero Ordinum minorum, dirimere tam Sponsalia subsequencia, quam antecedentia, ex cap. 1., & 2. de Clericis Conjugatis; Et ratio est, quia suscipiens Ordines Sacros redditur incapax matrimonii contrahendi.

IV. Quaeritur nunc primo, An dissolvantur Sponsalia per solum ingressum in Religionem, non expectata professione?

Respondeo, multos cum Palud. Vera-Crux, & aliis negare; quia qui Religionem ingreditur, non cedit iuri suo, sed vult experiri in novitiatu, an sibi expediat profiteri, vel nubere. Sanch. tamen lib. 1. disp. 41., Marrat., Tollet. affirmant, ex parte utriusque Sponsalia dirimi. Ratio est, quia sicuti se habent Sponsalia ad matrimonium, ita novitiatus ad professionem; sed Professio dissolvit matrimonium ratum: ergo novitiatus, seu ingressus in Religionem dissolvit Sponsalia ex parte utriusque. Tertia Sententia communior, & probabilior est Con., Rebel., Perez, Henr. docentium, dissolvi Sponsalia ex parte marentis in Seculo, non ex parte ingredientis Religionem. Ratio est, quia nullo jure dissolvuntur Sponsalia

lia per ingressum in Religionem : Quamvis enim per professionem dissolvatur matrimonium ratum, non per hoc valet inferre, quod per novitatum dissolvantur Sponsalia; quia argumentum a pari in iis, quae pendunt a jure positivo, non concludit; & consequenter Sponsalia non dissolvuntur ex parte ingredientis Religionem: Contra vero qui remanet in seculo, non tenetur stare Sponsalibus; eo quod in re promissa facta sit notabilis mutatio per ingressum alterius in Religionem; et enim dedecori ducitur nubere cum eo, qui fuit Monachus.

V. Dubium est, An si Sponsalia sint jurata, possit alter Religionem ingredi, non celebrato prius matrimonio? Sanch. loc. cit. cum communi docet, vi juramenti non obligari ad contrahendum matrimonium ante ingressum in Religionem, ex ratione saepius repetita, quod juramentum additum contractui sequitur naturam, & conditiones contractus; quia accessorium sequitur suum principale, *ex Capite Quemadmodum de Jurejurando*; Sed Sponsaliter contractus per se loquendo non obligat ad contrahendum matrimonium ante ingressum in Religionem: Ergo nec juramentum confirmans talem contractum.

Neque dicas, Alexandrum III. in *Cap. Commissum de Sponsalibus* respondisse, quod tutius sit, religione juramenti servata, prius contrahere matrimonium, & postea ad Religionem migrare ante consummationem. Nam varii ad hoc varia. Equidem cum Suar. dico, Pontificem locutum esse de eo, qui nondum firmo animo statuerat ingredi Religionem, & interim labebatur tempus biennii, intra quod promiserat matrimonium contrahere.

VI. Dubium etiam est, An possit Religionem ingredi, qui contraxit Spon-

Pars VII.

salia, & sub spe matrimonii a Virgine, vel honesta Vidua copulam obtinuit? Communiter cum Sanch., Lefs., Con. negant, etiamsi ille voverit ingredi Religionem; quia magis praevallet obligatio orta in tali casu ex justitia, quam obligatio orta ex voto. Emissio enim voti, & ejusdem adimpletio est actus liberalitatis; non possumus autem esse liberales aut Deo, aut hominibus cum injuria alterius: Exempli gratia, non possumus dare eleemosynam, quam voveramus, si dando eleemosynam non possumus satisfacere debito ex justitia: ergo cum in casu nostro ex justitia ille teneatur ad matrimonium, non potest ingredi Religionem, quamvis illam voverit.

VII. Queritur secundo; An votum ingrediendi Religionem, vel castitatis, vel suscipiendi Ordines Sacros dirimat Sponsalia, sicut dirimit votum profitendi in Religione?

Respondeo, & dico primo, votum ingrediendi Religionem, necnon votum castitatis, & suscipiendi Ordines Sacros, si antecedit Sponsalia, illa, etiamsi jurata, dirimit; non secus ac votum profitendi in Religione, *ex cap. Rursus, Qui Clerici*. Ratio est, quia promissio Sponsalium post illud votum est promissio de re illicita, & idcirco non obligat.

VIII. Dico secundo; si quis voveat castitatem post Sponsalia, alter remanet liber a Sponsalibus praecedentibus. Ratio est, quia in re promissa habetur mutatio notabilis; grave enim onus est contrahere matrimonium cum eo, qui non potest petere debitum. Verum ipse vovens probabilius manet ligatus Sponsalibus, ut docent Sanch., Hurt., Con. contra Suar., Vasq., Pontium. Ratio est, quia Deus non acceptat promissionem rei jam alteri promissae, & ab eo acceptatae: Verbi gratia, si promissisti dare cen-

F tum

tum Petro, & ille acceptavit, non poteris vovere dare illa pauperibus, nec tale votum acceptatur a Deo: ergo si per Sponsalia promissisti corpus alteri, non poteris illud ipsum Deo vovere.

Neque dicas, in Sponsalibus subintelligi illam conditionem, videlicet, nisi perfectiorem statum elegero. Nam hoc est falsum: si enim ea subintelligeretur conditio, quilibet licite posset post Sponsalia non nubere, quia status cælibatus est perfectior. Quare in Sponsalibus illa tantum conditio subintelligitur, Nisi professionem religiosam elegero; quia hoc in iure decretum est.

Neque dicas secundo; Promissum non infringit, qui illud commutat in melius, ex cap. *Pervenit de Jurejurando*; atqui melius est castitatem servare, quam nubere; ergo qui promissit nuptias, & deinde vovet castitatem, non infringit promissum, si servat votum: Nam sensus textus adducti est, non infringi promissum, si illud commutetur in id, quod sit melius eidem promissario: Dat exemplum Glossa: Si jurasti ire ultra mare peregrinationis causa, & hoc omisso, religionem ingrederis, non frangis juramentum: Contra tamen, si promissisti centum Petro, & ille acceptavit, non potes ea dare pauperibus; quia quamvis sit melius dare centum pauperibus, quam Petro; at non est melius ipsi Petro promissario.

Quod diximus de voto simplici castitatis, dicendum etiam est de voto suscipiendi Ordines Sacros, & de voto ingrediendi Religionem; Si enim tale votum præcedat Sponsalia, illa dirimit, ut diximus; quia per Sponsalia promitteretur res illicita: Quod si tale votum consequatur Sponsalia, illa non dissolvit ex parte voventis.

Neque dicas: Votum profitendi in

Religione emissum post Sponsalia illa dirimit ex parte utriusque; ergo etiam votum suscipiendi Ordines Sacros: Siquidem tam in professione religiosa, quam in susceptione Ordinis Sacri, emittitur votum castitatis solemne dirimens matrimonium, quod contraheretur. Negatur enim consequentia. Et disparitas est, quia prius votum est de re licita, & obligat, cum in iure permittatur post Sponsalia profiteri in Religione: At secundum votum est de re illicita, atque adeo non obligat; cum in iure non permittatur post Sponsalia suscipere Ordines Sacros.

ARTICULUS V.

Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequente dirimantur priora:

I. Sponsalia posteriora, cum sint irrita, non pariunt impedimentum publice honestatis; Sed dant alteri Sponso jus ad resiliendum.

II. Qui post Sponsalia cum Berta contrahit matrimonium cum Terefia, hac mortua, probabilius tenetur illam ducere.

III. Qui post priora Sponsalia cum Berta contraxit posteriora cum Terefia, a qua ignara priorum Sponsalium obtinuit etiam copulam, videtur teneri ducere Bertam, & damnum Terefie alia via compensare.

IV. Sed probabilius tenetur ducere Terefiam, qua damnum passa est, & sui corporis usum tradidit.

CERTUM est primo, quod si Tertius post Sponsalia cum Berta contrahat matrimonium cum Terefia, dirimantur præcedentia Sponsalia; cum impossibile sit contrahere cum Berta novum matrimonium.

Cer-